

laudatio funebris quum vel propterea legi mereatur, quod exquisitissima Verpoortennii elogia continet, a justo rerum aestimatore profecta; operae pretium me facturum scio, si eam sub finem hujus meae commentationis annectam, addito simul programme funebri, quod V. C. b. JOHANNES CONRADVS SCHWARZIVS, t. t. Professor latinae linguae & Poeseos in Gymnasio Casimiriano Extraordinarius, postea Verpoortennii Successor, totius collegii nomine exaravit.

XII.

Gymnasio igitur Coburgensi Verpoortennium immatura mors eripuit. Quo quidem obitu ejus jacturam grauiissimam illustris haec schola fecit, si jactura dicenda est viri omnium, quibus cognitus fuit, confessione doctissimi & praeclaris virtutibus ornatissimi, amissio. Ab orthodoxa Theologia non mediocriter eum instructum fuisse tum inprimis apparuit, quum pro licentia consequendi summos in Theologia honores Altdorfii publice disputaret, & accuratissimis Theologorum Noricorum examinibus subderetur. Quantam praestantiam autem politiorum literarum & liberalium artium consecutus fuerit, testis pergravis